



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

Dedicatoria.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

PIO III. PONT. MAX.

IO. PAVLVS LANCELOTTVS  
IVRECONSULTVS PERVSINVS,

S.



PONTIFICII Iuris Institutiones proximis annis superiorum Pontificum iussu & nos conscripsimus, & summi viri castigarunt, quæ quidem optandum sanè erat, vt ijs in lucem prodiret authoribus, quorum mandato & scriptæ & recognitæ fuissent, vel ea saltem ratione quòd authores ipsi munera nobis gratiora, ac pretiosiora facere consueuerint, & sæpe nō tam quid, quàm à quibus accipiant, homines soleant perpendere. Sed quando id vel ratio temporum, vel alia quæcunque causa fieri non sinit, illud certè nulla ratione committi debet, vt Iuris scilicet Pontificij Institutiones sub alterius, quàm ipsius Pontificis nomine appareant, à quo Pontificia omnia iura emanant: velut enim ab Oceano deducta flumina in ipsum tãdem refluent, ita hoc, quicquid est operis, quod totum de Romanorum Pontificum constitutionibus derivatū est, ad ipsum Romanum Pōtificem, quasi ad fontem, proprium redibit. Ad te autem eo iustius, quòd magnis alijs animi dotibus, quibus ad Pōtificatum tibi aditum parasti, exactissimam adiunxisti Iuris huius cognitionem. Vnde perbellè nunc accidit, vt quæ facultas optimum te meliorè reddidit, & ad moderandam difficillimis temporibus Christianã Rempub.

publ. instructiorem, eam nunc tu contra, cum Cano-  
num conditor evaseris, beneficium reponens melio-  
rem tibi redditurus; cuius rei non dubia iam apparent  
indicia, cum tam per te sanctissimas in vrbe Constitu-  
tiones quotidie edere non desistas, quam Tridēti ad  
restituendos antiquos Christianorū mores, atque ex-  
tirpandas hereses Vniuersale cōcilium indixeris. Ex  
quo te præsidente indies emanant Decreta nō minū  
salubria, quā ex his Synodis, quibus Innocentius,  
Alexander, Bonifacius, & Clemens præsuisse legun-  
tur: quę Juris Pontificij, quod nunc tenemus, libros  
implent, ac quasi corpus quoddam constituunt. Ad  
illa autem Institutiones hęc nostrę gradum fortē ru-  
dioribus facere poterunt. Accipies igitur eas placido  
ac benigno animo: nam si ira contingere senserimus,  
ad alia promptiores reddemur, & alacriores. Deus  
opt. Max. te nobis diu incolumem, felicemq; seruet.

Perusia, Kal. Augusti, M. D. LXIII.

\*\* ij